

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

58. Limi aetherei & Terrestres Lullii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

## XII. G E N U S.

*Menstrua vegetabilia composita summè ex-  
altata ex menstuis vegetabilibus com-  
positis graduatis.*

58. Limi ætherei & cœlestes Lullii pro tincturarum  
alchymicarum confectionibus.

*In Testam. Novissimo.*

R. **S**ulphur auri (*mercurium philosophorum ex auro confectum,  
sive sal harmoniacum solare*) & ponas in vase vitreo,  
& superfundas illi de menstruo vegetabili cœlico jam tibi noto  
(*cælo vinoso Lullii sub No. 30. descripto*) tantum sui ponderis,  
& ponas in digestionem balnei per sex dies, deinde per balneum  
destilla; postea infunde de novo menstruo ad sui pondus, &  
pone in digestionem balnei per sex dies, postea pone in cineribus  
per unum diem, destillando totum, quod poterit destillari, &  
pone cum alio prius destillato. Et iterum pone de novo men-  
struo & digere, & destilla, ut prius. Et toties reitera hoc re-  
gale magisterium, donec tota terra sive sulphur dictum eva-  
cuetur aëre suo, id quod fit viginti duabus vicibus, si sciveris  
laborare. Postea accipe omnes destillationes, & pone illas  
in balneo, & destilla totum menstruum, & vide, si totus  
aër maneat ad modum liquoris, tunc cognosces terram esse eva-  
cuatam aëre suo. Quod si non fuerit, reitera cum novo men-  
struo in balneo, digerendo & in cinere destillando, ut supra,  
usque ad tres vices. Et tunc totum sulphur nostrum erit eva-  
cuatum suo aëre. Tunc accipe aërem, quem servasti, & pone  
super ipsum totum suum menstruum, quod est illud, cum quo  
evacuasti aërem, & superfunde super terram sulphuris auri, &  
pone in digestionem in balneo per octo dies, postea in dicto bal-  
neo

neo extrahe totum menstruum per unum diem, & per alium in cinere extrahe totum aërem, & ignem, quantum poteris, scilicet in alio receptaculo, quod cognosces, quando aër incipit mutare colorem subrubeum. Serva istum ignem ad partem, & iterum pone aërem cum menstruo abstracto ab eo, vel cum alio, & pone super terram in balneo, & digere per sex dies, & destilla in dicto balneo totum menstruum per unum diem, & ignem in cinere, separando deinde quodlibet per se, ut supra fecisti, & serva ignem in balneo. Et iterum pone aërem cum menstruo super terram in qua est ignis, & digere, ut supra, & toties reiterabis hoc magisterium, donec terra sit bene evacuata suo igne, quod fit in quadraginta vicibus seu iterationibus. Tunc te oportet terram sublimare per hunc modum. R. Illam terram, quæ remansit post separationem aëris & ignis, & ponas illam in vase vitreo, & superfundas de menstruo vegetabili ad quantitatem terræ, & ponas in balneo, per unum diem naturalem, postea per alium diem in cinere destilla, & iterum pone de dicto menstruo ad pondus terræ, & digere in balneo per unum diem, & destilla in cinere per alium diem, & iterum reitera digerendo in balneo & destillando in cinere, donec tota terra conversa sit in pulverem impalpabilem. Tunc accipe illam & pone de menstruo ad pondus illius, & pone in digestionem in balneo per duos dies, postea destilla in cinere per diem, & pone destillatum in balneo. Tunc accipe terram & repones de alio menstruo ad pondus ipsius, & digere per duos dies, & destilla, ut prius, iterando inhumationes & destillationes procedes donec terra sit transacta per alembicum simul cum menstruo. Ista terra sic cum menstruo mixta, dicitur argentum vivum exuberatum de intentione Alchymistarum. Pone ergò istas destillationes in quibus est ista terra ad destillandum per balneum, & extrahe menstruum, & remanebit terra sicca & præparata in fundo vasis, quam serva. Sic, fili, habes elementa sulphuris auri divisa cum Dei auxilio. Tunc oportet te habere sulphur argenti (*mercurium Philosophorum ex argento, sive sal hermioniacum lunare*) & de eo elementa separare, similiter separando aërem cum aqua menstruali, & ignem cum aëre & aqua, & terram cum menstruo sublimare, & eodem menstruo per alembicum facere pertransire. Sic habes, fili, elementa sulphuris albi & elementa sulphuris rubei separata & divisa. Jam

Y

R. Men-

R. Menstruum sive aquam cum qua separasti elementa sulphurum auri & argenti, & dissolve pro qualibet libra de menstruo, quo dissolvisti aurum, unciam auri; & in menstruo, quo dissolvisti argentum, unciam argenti. Et pone quodlibet per se in vase circulationis in balneo, vel fimo per quindecim dies, & ibi fortificabitur in suam naturam menstrualem. Fili hanc aquam appellamus menstruum elementatum, sive aquam ablutam & abstractam à facibus terræ. Jam R. Duo elementa sulphuris auri, scilicet aërem & ignem, & pone simul in vitro vase destillatorio, & pone in cinere ad destillandum cum igne temperatissimo, quousque ex quinque partibus habeas tres partes destillatas in receptorio, tunc dimitte infrigidari, & quod destillatum est, accipe per se, & septem vicibus destilla & serva ad partem, postea redi ad destillandum, quod reliquisti; quando ex quinque partibus destillasti tres, & super duas, quæ remanserunt, continua destillationem, quousque videas ignem congelari ad latera vasis, dimitte infrigidari, quousque ignis congelatus fuerit. Et ille ignis, quem extraxisti, quousque ignis congelatus fuit (*hoc quod ascendit adhuc humidum ante materiæ sublimationem ex his duabus relictis partibus intelligit*) dicitur aër secundus & tinctura, & vocamus eum nostrum secretum, & nostrum thesaurum & vaporem elementorum. Istud etiam rectificabis fili per septimam destillationem seu rectificationem, & terram, quam post destillationem primi & secundi aëris abstraxeris à vasis, in quibus aërem primum & secundum destillasti, ponas in igne congelari, & illa terra ignis appellatur. Nunc fili præpara hunc ignem isto modo: Pone illum in vase destillatorio, & pone deuper de sua propria aqua, quæ est illa cum qua separasti elementa sulphuris auri, quando tibi præcepimus deducere ad spiritum quintum in vase Hermetis; & diximus, aquam ablutam à facibus terræ (*aliàs menstruum elementatum solis*) quinque partes sui ponderis, scilicet super unciam unam de dicto igne, uncias quinque de dicta aqua (*menstruo elementato auri*) & pone ad digerendum in balneo per octo dies. Postea in cinere lentissime destilla, & iterum pone de nova aqua scilicet partes quinque, digere & destilla, ut supra, & toties reitera cum isto regimine usque ad septem vices, & sic habes ignem & terram (*sulphuris auri*) calcinata philosophicâ calcinatione. Et sunt duo elementa

menta sulphuris rubei præparata ad Limos desertos. Et nota, quòd debes ponere terram sulphuris albi, quam calcinasti & præparasti post separationem elementorum sulphuris rubei cum terra, quam extraxisti ab aëre mixto cum igne, & ambas pone cum igne congelato. Modò fili, accipe terram sulphuris argenti, quæ tibi remansit post separationem elementorum, & illam præpara, quemadmodum fecisti, calcinasti, & præparasti terram auri, post separationem elementorum simul cum menstruo sublimatam, & in pulverem impalpabilem reductam, & cum eodem menstruo per alembicum portatam; & etiam præparationem hanc terræ sulphuris argenti facias cum menstruo, cum quo separasti elementa sulphuris argenti. Tunc habes terras sulphuris auri & argenti præparatas per se, quod cognosces per signum tibi datum, scilicet ponendo parum super laminam lunæ ignitam, evolabit in fumum major pars. Tunc R. Illas terras æquali pondere & uncis & pone in vase præparatorio, post accipe menstruum, cum quo præparasti elementa lunæ, & ponas in ejus libra una, unciam unam sulphuris vegetabilis, quod tibi demonstravimus facere ex terra vini (*salis harmoniaci vegetabilis ex terra vini phil.*) & destillando facias totum per alembicum transire, & tunc habebis menstruum, cum quo extraxisti elementa sulphuris lunæ, animatum & acuatum. Tunc fili oportet te terras sulphurum ante dictorum (*id est, auri & argenti*) simul miscere & præparare, dando quartam partem sui ponderis dicti menstrui (*jam animati & acuat*) digerendo & desiccando, ut in creatione sulphuris (*naturæ sive salium harmoniacorum*) fit, quousque biberint quatuor partes de dicto menstruo, & sint dispositæ ad sublimandum, quas sublimabis igne quarti gradus. Et nota, quòd omnes istæ præparationes & destillationes terrarum debeant fieri in Balneo, & sic habes fili sulphur nostrum sive materiam, sive terram vegetabilem & metallicam in uno genere unitam ad componendum lapidem gloriosum, altum & virtuosum, qui tibi transformabit argentum vivum vulgi in perfectum solem vel lunam *sine juvamento ignis*, sed tanquam oculus basilisci, qui solo intuitu interficit animalia. Sed interest fili, ut per compositionem radicum istarum tam sublimis & altæ arboris, quas Limos desertos appellamus, in quibus tota virtus cæli & terræ ad hoc magisterium pertinens, infunditur; magnam diligentiam adhibeas, & summo ingenio componas. Et modus est. Y 2 R. De

R. De Terra sive sulphure vegetabili (& minerali) quod univisti in uno genere per sublimationem, quæ est illa, quam appellasti terram sulphuris in uno genere unitam. Et eam ponas in vase vitreo, & superfundas de menstruo cum quo separasti elementa sulphuris lunæ & præparasti dictum genus terræ, tantum sui ponderis, & ponas in balneo philosophico per tres dies naturales. Et in illo tempore solvetur totum, quod sic solutum pone in balneo vulgi, & destilla menstruum, & terra suo generi unita per sublimationem remanebit, ut oleum, quod unguentum philosophorum appellamus, & unum est de secretis quod procuramus occultari. Tunc

R. De isto oleo sive unguento supradicto drachmas decem, & de aëre sulphuris lunæ rectificato drachmam unam (*non unciam unam: Et de aëre sulphuris solis drachmam unam*) & in igne cineris destilla, & quod destillatur (quod est ferè totum) dicitur Limus desertus terreus, serva illum. R. De elemento (*ignis*) sulphuris auri jam præparati & congelati drachmas decem (*non viginti*) & de elemento aëris (*sulphuris*) lunæ drachmam unam, & de elemento aëris sulphuris auri drachmam aliam, & pone totum in cineribus & destilla, quod destillatur ex eo (quod erit ferè totum) dicitur Limus desertus æthereus serva ad tempus.

R. De elemento ignis sulphuris auri drachmam unam sive duas, & iterum rectifica illud isto modo, ponendo super illud quinque partes de suo proprio menstruo, quod est id cum quo separasti elementa ejusdem sulphuris auri, & pone ad digerendum in balneo per unum diem naturalem, postea in cinere destilla, quod poteris. Et iterum pone de dicto menstruo, digere & per cinerem destilla, & reitera, donec totum transeat per ignem cineris. Tunc accipe tantum sui ponderis de dicta terra vegetabili, unita & sublimata simul (*superius præparata*) & unias simul (*cum elemento ignis destillato*) & non destilles, sed sic dimittes & dicitur Limus desertus (*terreus, auri*) non vaporisatus.

R. Dictæ terræ (*in uno genere unitæ*) drachmam unam, & olei aëris (*sulphuris*) lunæ drachmam unam, & misce simul & facias idem magisterium, quod fecisti cum præcedenti auro, & dicitur Limus terreus desertus lunificatus (*non*) vaporisatus.

Modò nobis videtur dare modum cœlificandi & præparandi illos

illos (*Limos*) ad virtutes cœli & terræ recipiendas, & modus est iste. Accipias vasa ænea vel ferrea, quæ sunt virgulata, & sint sicut illa, in quibus cantant Psittaci, sed virgulæ sint magis strictæ, ita ut non possit intrare aliqua terra, nec cœlestis nec terrestris, sed solum vapor cœli & terræ quos habebis per influxum.

℞. Limum (*desertum terreum superius dictum*) factum ex decem drachmis terræ vel sulphuris uniti, quod est illud, quod univisti ex terra sulphuris argenti, & reduxisti in oleum vel unguentum; & ex drachma una aëris (*sulphuris*) lunæ, & drachma una aëris (*sulphuris*) solis mixtis: Et istum limum ponas in vase vitreo cum longo collo optimè sigillato sigillo Hermetis, & istud ponas in vase virgulato, & ponas per unum brachium vel duos, & dimittas per annum cum dimidio, vel ad minus per annum, cooperiendo bene illud cum terrâ & servando ab omnibus periculis, & in isto tempore efficitur aqua potens, mirabiles habens virtutes fixativas lapidis, & habet mirabiles virtutes acquisitas à cœlo; quas attraxit à vaporibus terræ. Fii super hoc quiesce.

℞. Limum (*desertum æthereum superius dictum*) quem fecisti de decem drachmis ignis sulphuris auri & ex drachma una aëris sulphuris lunæ (*& drachma una, aëris sulphuris solis*) & hunc pone in alio vase vitreo cum longo collo hermeticè sigillato, & pone in alio vase virgulato, & pone suspensum in aëre, arbore, vel loco abdito, ab omni vento, pulvere, & omni periculo. Dimitte ad unum annum cum dimidio vel ad minus anno integro, ut de alio diximus, & ita efficietur aqua clara habens virtutem indurandi, fixandi, congelandi, penetrandi, faciendi lapidem volatilem & dicitur mercurius aëris acutissimæ penetrationis.

℞. Limum (*desertum terreum auri, sed*) non vaporisatum nec cœlificatum (*nec destillatum per alembicum, nec circulatum*) qui est ille quem fecisti (*mixture simplici*) ex drachma una elementi ignis sulphuris solis, & ex drachma una terræ unitæ (*suo generi*) & illum (*accipe etiam Limum desertum terreum lunificatum, non vaporisatum*) quem fecisti ex drachma una terræ sulphuris unitæ & drachma una aëris (*sulphuris*) lunæ, & illos limos pone quemlibet per se, in vase vitreo sigillato, ut de aliis est dictum. Et ponas subtus terram per unum brachium,  
per

per annum integrum in vase virgulato, & in illo tempore efficitur aqua habens mirabilem virtutem conjungendi, & super hoc quiesce.

℞. Limum, quem fecisti ex decem drachmis ignis vel aëris & una terræ. Et accipe quod superest de aëre (*sulphuris*) lunæ, quia non accepisti ab eo nisi drachmas tres, quando fecisti Limos, & illud pone suspensum in aëre in vase vitreo sigillato, & in vase virgulato, ut de aliis fecisti, & ibi accipiet virtutes cœlestes, quæ sunt media conjunctionis inter Limum terræ & Limum ignis & aliorum.

℞. Aërem secundum (*menstruum elementatum in quo dissoluta sunt aër & ignis sulphuris, auri, lenitèrque abstractum, videlicet ab ejus quinque partibus, tres solummodo*) qui est ille, quem abstraxisti ab igne congelato, quem diximus oleum philosophicum & thesaurum philosophicum (*non istud, quod etiam unguentum philosophorum dicitur ex terra in uno genere unita confectum, sed quod vapor elementorum appellatur*) & pone per se in alio vase vitreo bene sigillato & pone ad aërem propè alia, quæ posuisti per annum integrum.

℞. Menstruum cum quo separasti elementa sulphuris lunæ, (*menstruum illud, quo separasti elementa sulphuris solis*) & pone in quolibet vase, in quo est menstruum lunæ (*& menstruum solis*) drachmam unam sulphuris (*vel salis harmoniaci vegetabilis*) & pone in balneo, postea in cineribus, quousque facias pertransire totum cum quolibet menstruo per se. Tunc quodlibet menstruum sic rectificatum vel animatum, pone in vitreo vase sigillato per se in suis vasis virgulatis & ponas in aëre suspensum prope alia per annum unum.

℞. Oleagineitatem lunæ (*primam, sive aërem primum*) quæ est illa, quam abstraxisti à terra lunæ, quando præparabas eam pro creatione sulphuris lunæ, quam præcepimus tibi fervare & diximus quod esset pro creatione (*sulphuris natura*) & ponas in vase vitreo sigillato, in aëre, & ibi efficitur aqua fluxibilis & virtuosa, mirabilis penetrationis. Et quod diximus de oleagine alba, dicimus etiam de oleagine incerativa rubea (*solis.*) Et habes, fili, lapidem (*menstruum*) in octo partes divisum tres in terra, & quinque in aëre.

Anno-



## Annotationes.

**D**ecem præcedentia menstruorum vegetabilium tam simplicium quam compositorum genera composuere adepti temperando spiritus vini phil. unctuositatem multiplici rerum ariditate: Et tali modo producere menstrua ad quemcunque usum adæquate proxima, & quoniam sunt ejusdem cum rebus dissolvendis naturæ, permanentia & inseparabilia. In genere proximè antecedenti demonstravimus, menstrua prædicta omnia, sive simplicia sive composita, tot, tantisque laboribus, aridorum temperaturâ ad summum exaltata, altiùs adhuc sublimari, & in viribus suis augmentari posse. Nam quod ars nequit, hoc natura præstare potest; quod terra non potest efficere, id cælum facit. Menstrua enim ad artis apicem evecta, & cælorum influentiis exposita, jam à natura summas & incredibiles adipiscuntur vires. In præcedenti genere undecimo menstrua habuimus pro lapidibus pretiosis, composita ex elementis simplicibus metallorum; in hoc duodecimo metallorum perfectorum sulphur naturæ, sal harmoniacum sive mercurium solarem & lunarem, loco auri & argenti crudi recipit, & in multo nobiliora separat elementa cælo terræque exponenda pro tincturis alchymicis omnium optimis.

## Ex Receptis observamus,

1. Limos in suis compositionibus claros quidem esse, sed ( de industriâ ) sophisticò multiloquio obvelatos, & tantâ operationum varietate larvatos, temporisque insuper diuturnitate tædiosissimos redditos deterrere tyrones improvidos.

2. Limos hos, à prioribus aquis æthericis & terrestribus differre præparationis subtilitate; hæc elementa sunt salis harmoniaci vel mercurii phil. solis & lunæ; illa verò elementa metalli crudi. Nam dixit Lullius: Limi pro tincturis alchymicis in subtiliori natura esse debent, quàm qui sunt pro lapidibus pretiosis.

3. Limos hos esse essentias graduatas, cælorum terræque influentiis expositas, adeoque esse medicamina.

4. Eodem etiam modo metallorum imperfectorum sulphura naturæ præbere Limos, in suo genere æque fortes, ac sulphura naturæ auri & argenti in suo genere. Hæc

**H**actenus egimus de menstruis vegetabilibus, sequuntur nunc quæ mineralia dicuntur. Sed antequam procedamus ultrà, admonendi sumus per menstrua vegetabilia intelligi simul menstrua animalia. Omnia enim jam data menstrua vegetabilia, non dicuntur vegetabilia ingredientium ratione; præter enim vegetabilia, etiam animalia & mineralia in illorum compositionibus fuere assumpta; sed ob vini phil. spiritum ex vegetabili unctuositate maximè ortum. Quem si ex Regni animalis oleoso quodam ( uti fecere sæpè sæpius Adepti ) educere & liberare sciveritis, menstrua prædicta vegetabilia transmunitis cum hoc animali spiritu in menstrua animalia. Quod tamen ad menstrua mineralia ne torqueatis; Quamvis enim in hoc etiam Regno dentur oleosa liquida liquoribus aquosis innatantia, ut sunt oleum Petræ carbonum fossilium, &c. Hæc tamen olea hujus Regni extraordinaria sunt, naturæ lusu vel lapsu producta. Hinc oleosa ejusmodi ad oleosa amborum Regnorum ( vegetabilis & animalis ) translata fuere ab Adeptis; unius enim sunt & ejusdem naturæ, ubi mineralium, metallorumque oleosa magis arida sunt & masculina, quàm ut femininum nostrum producant semen vel menstruum. Recensere autem animalium partes, & modum ex iis educendi hunc vini phil. spiritum, non hujus est loci, sed ad librum specialem, videlicet quintum nostrum, ( edendum suo, quo placebit Deo, tempore, ) hisce de rebus fusiùs tractantem pertinet.

Propterea de menstruis animalibus silentes procedimus ad menstrua mineralia sive acida.